

in *Phys. introduct. c. 12.* Potest enim etiam esse in præceptis disciplinarum diversarum, si nimirum disciplinæ sint subalternæ. Subalternatio illa triplex; nimirum vel ratione principiorum, vel ratione subjecti, vel ratione finis. Subalternatio ratione principiorum est propria, vel impropria. Propria est, cum disciplina superior demonstrat principia inferioris ostensivè: quo modo medicina & geometria subalternantur physicæ; illa quidem subalternatione totali, hæc partiali. Impropria est, cum disciplina superior demonstrat principia inferioris deductione ad impossibile: quo modo Geometria subalternatur Arithmeticæ, & Metaphysicæ omnes inferiores disciplinæ. Subalternatio ratione subjecti est vel simpliciter, vel secundum quid talis. Illa quoque propria, hæc impropria dici potest. Illa locum habet in Mathematicis, ut monet *Zab. de trib. præcognitis c. 12.* hæc in Metaphysicis & Physicis. Ibi; quatenus Metaphysica probat principia inferiorum disciplinarum. Hic; quatenus physica specialis sumit sua principia ex physicâ generali. Primo illo subalternationis modo Musica subalternatur Arithmeticæ. Denique subalternatio ratione finis est, cum finis disciplinæ inferioris est sub fine superioris. Et hæc est vel propria, sicut polemica subalternatur politicæ; vel impropria, sicut ethica physicæ: quâ de re videris *Fonsecam in 4. metaph. cap. 1. quest. 2. sect. 2. & philosophiam nostram restitutam pag. 415. 418.* Quod si spectes hanc subalternationem, præcepta diversarum disciplinarum possunt esse homogenea, non omnia quidem, sed illa duntaxat, quæ respiciunt illam subalternationem. Hoc ipsum quoque statuendum est de SS. theologiâ. Nam in illâ traduntur præcepta naturalia & supernaturalia; quæ non sunt heterogenea, sed maximè homogenea, idque respectu utriusque principii, quod est in theologiâ, videlicet naturæ & gratiæ. Ideò diximus in definitione hujus legis, quod homogenea sint inter se conjuncta ob subjecti & finis, quæ respiciunt, identitatem. Hæc probe probeque observanda sunt, ut ne temerè judicemus de *μεταβάσει eis ἄλλο γένος ἐπισήμης.* Respon. ad 2. Homogeniæ lex non solum in disciplinâ methodicè tractandâ suum imperium exercere debet, sed in quâvis methodo doctrinæ perfectâ. Sic si velim explicare quæstionem alicujus disciplinæ accuratè, debeo id dare

Subalternatio disciplinarum triplex.